



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Inaudita leonum ac luporum obedientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

S. Augustin.  
tract. 1. in  
Ioan.

S. Chryf.  
hom. 12. ad  
pop. S. Edm.  
in Speculo  
Eccl. cap. 6.  
tom. 5. Bi-  
blioth. Da-  
mascenus 2.  
Fid. cap. 10.  
Phil. lib. de  
Pronid. Ne-  
mesius 1. de  
homine. c. 2.

Laëtant. lib.  
de Ira. c. 13.

Deut. 32. 37.

Pfal. 90. 13.

V.

Supra n. 2. &  
3. Dan. 14.  
Io. Euirat. in  
prat. Spir. c.  
125.

accusare debet Mundi Conditorem, quòd noxia animalia creavit quemadmodum Manichæus quidam, apud D. Augustinum, simplici cuidam Catholico, Deum malum esse, persuasit, quòd muscas, quas ille tunc infestas patiebatur, condidisset. Hunc errorem fusè impugnat S. Chrysofostomus, S. Edmundus, S. Damascenus, Philo, & alij. Nemesij sunt ista: *Si aliqua sunt, que fructu nõ ferant, contrariè perniciem homini important, sciendum est, cum que ad hominum usus valent, primario loco creata essent, tum cetera omnia, que natura ferebat, esse condita; ut ne res vlla, que fieri posset, ab hoc officio abesset. Quanquam ne ista quidem planè eiusmodi sunt, ut nullam ex ijs homo utilitatem capiat. Nam etiam venenata bestia emolumentum illi faciunt, propterea quòd eis ad curanda vulnera ab illis ipsis illata ceterosq; morbos sanandos abutitur. Tales sunt theriaca quedam compositiones, que vocantur, quas ratio excogitavit, ut per eas etiam illis dominaretur, & velut à deicctis hostibus commodum perciperet. Sed habet homo infinitas vires his contrarias à Deo acceptas, quibus arcere, & ulcisci & corrigere eorum iniurias possit. Alia enim alios usus habent, communiter tamen omnia ad hominis commoditatem natura conferunt, etiam illa, quorum alioqui nulla utilitas appareat.* Laëtantius proposita hac Stoicorum, ut ait, responsione: *Quòd nihil sit, cuius non sit aliqua utilitas, tamen si occulta plerumq; lateat, & idedò purgari Deum à calumnia, ex rerum noxiarum productione ipsi illata, scribit, hanc responsionem esse ineptam, & respondendum potiùs fuisse, istiusmodi mala facta fuisse, ut homo haberet, in quo datam sibi sapientiam & rationem exerceret. Est quidem hæc aliqua etiam ratio, sed tamen neque Stoicorum responsio est reiicienda, quam tot SS. PP. & ipsæ experientiæ approbauerunt. Certè documenta & medicamenta ab eiusmodi bestijs habemus. Si Scorpij malum est venenum, est & oleum Scorpij bonum. Quin idem Scorpius dum sauciat, sanat, si, in ipso ictu, vulnere facto interatur. Certè qui dixit: *Dentes bestiarum immitam in eos: cum furore trahentium super terram atq; serpentium;* idem etiam dixit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.**

De dracone victo & contentim interfecto, historia Danielis Prophetæ loquitur. Et de serpentibus, paulo supra docuit. Idem etiam Daniel inter fameliorum leonum rictus, in lacu, illæsus mansit. Abbas Sergius leoni, in via iacenti, panem porrexit, & recede.



& recedere iussit, ut iumenta, salva transire possent. Acepit leo panem & mandatum. Simonidem quoque Monachum, scribit Theodoretus, viatoribus in viam reducendis duos leones, è nemo. re aduolantes attribuisse, qui eos non deseruerunt, donec rectum denuò iter tenerent. Narrat Hugo Præmonstratensis Abbas, Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, cuidam puero ouium pastori petenti, in gregis custodiam, sibi canem dari, respondisse: *Cum lupus aduenerit, rapueritq, ex grege aliquid, iubeto ei, nostro nomine, ne quid attingat.* Felix simplicitas pueri fuit. Paruit Nortberto; ob quod, etiam lupus paruit puero. Iam lupus in gregem irruptionem fecerat, iam ouem ore arreptam asportauerat, cum puer præcepti memor cursu prædonem persequi & clamare imperiosissime capit, ut domini ouem dimitteret, sic dominum mandare. Audita hac voce, lupus ouem illæsam reddidit. Est scilicet ita, qui Deo obedit, etiam creaturas facit sibi obsequentes. In statu iustitiæ originalis, omnia animantia, quantumuis fera, hominis imperio erant subiecta. Quod idem obtinuere multi viri sanctitate præditi, quibus bestię ad nutum paruerunt. Admirandum est, quod in Chronico Minorum legitur, de S. Francisco. Lupus quidam fame rabidus ciuitatem Eugubinam velut obsederat; ut nemo vel ingredi, vel egredi, ac ne comitatus quidem, posset. Superuenit D. Franciscus. Audita feræ immanitate, statuit urbem liberare. Eo ad bestiam in campum prodeunte, vndique ciues è turribus atq; fenestris, tanquam ad funestum prælium, prospexere. Vix in conspectum belluæ venit, cum illa truculentè in eum irruit. Expalluerunt, qui spectauerant. At Franciscus venientem hostem ultro, & nominatim vocauit, ferocientemque signo crucis compescuit. Vidisses miram illico metamorphosin. Nam lupus extemplo caput demittens, neq; aliter ac si in agnum esset mutatus, ad S. Viri pedes se se prostravit. Ita supplicem, de illata vastitate, verbis acerbis castigauit, expositis ciuium querelis. Postea indicauit ei, venisse se, ut pacem inter ciues & ipsum componeret. Pacis condiciones erant, ut lupus posthac nulli damnum inferret, ciues ei non nocerent, sed iniuriarum obliuiscerentur. Addidit, fore, ut alimenta nunquam deessent. Post hæc audita, & velut intellecta, lupus capitis inclinatione, aurium, caudæ, & totius corporis gestulationibus annuebat, ut signis eiusce modi omnia approbare videretur. Quin & petenti dexteram in-

Theodoret.  
in hist. Re-  
lig. c. 6.  
Hugo Præ-  
monstr. in  
vita Nor-  
berti c. 73.

Chron. Mi-  
nor. lib. 10.  
c. 29.



fignum foederis, sancto viro dextrum pedem porrexit; inuitatē tēque, in oppidum, vt coram pactas conditiones firmaret, vclut agniculus secutus est. Fit concursus totius ciuitatis. *Ibi D. Franciscus grauiter denunciauit populo, huiusmodi plagas à Deo immitti puniendis mortalium criminibus; alios esse in inferno lupos; rabiem inferni barathri ardentisq; fornacis voraciorem rictu infausto huius belluae, qua, praeter vitam mortalem, auferre nihil posset. Tunc exposuit, quas cum lupo extra portas inisset conditiones verimq; pactas. Easdem probarunt ciues. Ipsdem quoq; iudicijs, qua ediderat, assensus est lupo, pedemq; rursus poscenti B. Francisco eleuauit, & in eius manu reposuit. Omnes letitia exilientes benedixerunt Dominum. Neque haec tantum pertinuit cicuratio. Siquidem, ab eo die, lupo quotidie, canis blandissimi instar, urbem obiuit, atque ad singulorum fores subsistens, alimenti sui portionem ostiatim emendicauit. Quocumque ibi, gratissimus adueniebat, & cum applausu, in omnium aedibus, excipiebatur. Quodque mireris magis; nullus vnquam eum canis allatruit, nulli & ipse vnquam ferox visus est. Duos annos id miraculum tenuit; postea lupo desijt viuere, cum magno populi luctu; nam in eius innocentia plebs D. Francisci intuebatur sanctitatem.*

## V I.

Plaut. Af-  
nar. Lam-  
prid. in He-  
liogabalo.  
Marc. 16. 17

Theophyl.  
in c. 16 Mar-  
ci.  
Act. 12.

Quid autem dubitemus de eiusmodi facto, cum non sit impossibile, apud Deum, omne verbum? Possunt homines dicere: *Reddam ego te, ex fera, fame mansuetem; & Heliogabalus, teste Lampridio, habuit leones & leopardos, quos edoctos, per mansuetarios, subito ad secundam mensam iubebat accumbere; cur id Deus non posset? cuius clara est promissio: signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur &c. serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Serpentes tollent, inquit Theophylactus, sicut Paulus viperam in manu sustulit, nihil ab ea offensus. Et si mortale quiddam biberint, non nocebit eis. Sape enim & haec facta sunt, vt in historijs inuenimus. Multi enim & venenum bibentes, per signaculum crucis, illesi conseruati sunt. Atque, vt haec tanta miracula fide sint digniora, ea naturae vis est, ea industria artis, vt ipsum virus proficit. Nam & in veneno inest medicina; & perniciosissimae animantes sanare possunt, caelo dirigente. Cuius etiam beneficio bestiae hominem, contra bestias, defendunt. Nam contra serpentes hominem ab aquila defensum Crates Pergamenus historia insigni docet, quam etiam Stesichorus Poeta poemate prosecutus est, & Aelianus, in*